

## Secuntur privilegia regum aliorum

[II Apud Brunam 1268 aug. 23. — (1283—1305)]

### Et primo privilegium per regem Ottakarum Iudeis datum et tandem per regem Wenceslaum renovatum

Nos Wenceslaus et infra. Licit genus hominum ortu surgat assimili<sup>a</sup> et mortales quilibet naturalis equentur originis paritate, ex quo tamen per lapsum primi hominis peccati contagiosa prurigo naturam viciavit humanam, inmutata est pristini status condicio et iuris distincio subsecuta, ut quidam, qui iure nature nascebantur liberi, iure gencium iugo nascantur subditi servitutis, quidam prerogativa dignitatis impotent, alii obsequantur, quidam claris ornentur honoribus, alii deiecte humilitatis caligine tenebrescant. Sed quamvis inter Ade filios huiusmodi qualitas differencie prescripta dudum teneat et servetur, nichilominus tamen nullus, et precipue, qui dominii prefertur fastigio, humanitatis immemor esse debet, quin immo se hominem recognoscens egentibus subditis pietatis ianuam reseret, ipsos clementer gubernet, votis condescendat humilium et iustis petitionibus favorabilem prebeat benignus auditum. Huius igitur tenore privilegii noverint tam presentis etatis homines quam future, quod quamquam Iudei per nephandum, quod patres eorum scelus commiserunt in domino nostro, filio dei vivi, privilegio iuris naturalis privati in calamitatem servilis condicionis miserabiliter sint deducti, tamen, quia eis speciei reddit idemperitas nos conformes, ex Christiane, quam profitemur, fidei sanctitate inducimur, ut crudelitatis rigorem pietatis lentescamus mollicie, sique diligamus homines, ut eorum non diligamus errores, Iudeorum degencium in Moravia precibus benignius inclinati, privilegium quoddam olim per dominum Ottakarum, regem Boemie, karissimum patrem nostrum felicis memorie, ipsis concessum vidimus et contenta in eo tamquam rite ac rationabiliter acta presentis tenore privilegii renovantes ratificavimus et vigere volumus stabilis robore firmitatis. Erat autem ipsum privilegium non abolitum, non abrasum, non cancellatum nec in aliqua parte sui viciatum, sed in prima sui figura consistens, et tenor ac continencia eius talis est:

In nomine domini amen. Nos Ottakarus, dei gracia Boemie rex, dux Austrie et Stirie ac marchio Moravie, omnibus imperpetuum. Cum humanis dispositionibus nichil ad summe perfectionis et soliditatis culmen valeat<sup>b</sup> pervenire, sed semper de gestis hominum, licet rationabilibus, tamquam de navi, que fluctibus est exposita, sub serenitatis tempore calumpnie timeri oporteat tempestates, ideo ea, que ex principio beneplacito ad subditorum commoda conceduntur, aliquociens sibi renovacionis remedio indigent subveniri, ut ipsa, que vetera sunt, vultum novitatis assumendo nociorem adhibicionem fidei conquirant et maioris gaudeant fulcimine firmitatis. Quare tam presentibus quam posteris huius scripti testimonio esse volumus manifestum, quod nos cum auctore

domino, per quem reges regnant et obtinent principatum et cuius magnificencia non potest termino circumscribi, diversarum terrarum et nationum gubernacula teneamus, volentes, ne aliqui eorum, qui nostre dictioni subduntur, cuiuscumque condicionis fuerint sive legis, in iuribus suis defectum senciant aut iusticie paciantur eclipsim, Iudeis nostris per districtum nostri dominii constitutis, potissime cum ad nostram cameram pertineant et nostra defensione et presidio egeant specialius communiri, regalis gracie beneficium impendentes ad evidenciorem noticiam et cautelam eorum statuta et privilegia, que a nobis nostre iuventutis tempore emanaverunt, de verbo ad verbum, sicut in subsequenti serie continetur, taliter duximus renovanda.

#### [1] De testibus

Primum quidem statuimus, ut pro pecunia mobili aut pro re immobili aut in causa criminali, que tangit personam aut res Iudei, nullus Christianus contra Iudeum nisi cum Christiano et Iudeo in testimonium admittatur.

#### [2] De pignoribus

Si Christianus Iudeum impetrat asserens, quod ei pignora sua obligaverit, et Iudeus hoc diffitetur, si Christianus Iudei simplici verbo fidem noluerit adhibere, Iudeus iurando super equivalente sibi oblato suam intencionem probabit et transeat absolutus.

#### [3] De pignoribus

Si Christianus obligaverit pignus Iudeo affirmans, quod Iudeo pro minori pecunia obligaverit, quam Iudeus confiteatur, iurabit Iudeus super pignore sibi obligato et quitquid iurando probaverit, Christianus ei solvere non recuset.

#### [4] De pignoribus

Si Iudeus Christiano non assumptis testibus dicat se pignus mutuasse et ille negaverit, super hoc Christianus solius sui iuramento se expurget.

#### [5] De pignoribus

Recipere poterit Iudeus nomine pignoris omnia, que sibi fuerint obligata, quocumque nomine vocentur, nulla de hiis requisitione facta, exceptis vestibus sanguinolentis et madefactis et sacris vestibus, quas nullatenus acceptabit.

#### [6] De pignoribus furti

Si Christianus impetraverit Iudeum, quod pignus, quod Iudeus habet, ei furtim vel per violenciam sit ablatum, Iudeus iuret super illo pignore, quod cum recepit, furtim ablatum vel raptum ignoravit, hoc in suo iuramento implicito, quanto sit ei pignus huiusmodi obligatum, et sic expurgacione facta Christianus sortem et usuras ei persolvet, que medio tempore accreverunt.

#### [7] De pignoribus amissis

Si aut per casum incendi aut per furtum aut per vim res suas cum obligatis sibi pignoribus Iudeus amiserit et hoc constiterit et Christianus, qui hec obligavit, nichilominus eum impetrat, Iudeus iuramento proprio se absolvet.

#### [8] De iudicio Iudeorum

Si Iudei inter se de facto discordiam moverint aut guerram, iudex civitatis nostre nullam iurisdiccionem sibi vendicet in eos, sed rex aut dux aut summus terre vel regni camerarius iudicium exercebit. Si autem reatus vergit in personam, soli regi sive duci hic casus reservabitur iudicandus.

#### [9] De vulneribus

Si Christianus Iudeo vulnus qualemcumque inflixerit, reus regi sive duci solvet duodecim marcas auri sue camere deferendas et vulnerato duodecim marcas argenti et expensas, quas pro suimet curacione impenderit medicine.

### **[10] De homicidio**

Si Christianus Iudeum occiderit, digno iudicio puniatur et omnia rei mobilia et immobilia in regis transeant potestatem.

### **[11] De percusione**

Si Christianus Iudeum ceciderit, ita tamen, ut sanguinem non effundat, solvet regi quatuor marcas auri, percuoso seu lesu quatuor marcas argenti; si vero pecuniam habere non poterit, per detruncacionem manus satisfaciat pro commisso.

### **[12] De theloneo**

Quicumque Iudeus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum prestabit nec molestiam inferat aut gravamen; sed si alias merces aut alias res duxerit, de quibus muta debeat provenire, per omnia mutarum loca non nisi debitam solvat mutam, quam solveret unus civis civitatis illius, in qua Iudeus eo tempore commoratur.

### **[13] De Iudeis mortuis**

Si Iudei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis aut de civitate ad civitatem aut de provincia ad provinciam aut de una terra ad aliam deduxerint, nichil ab eis per mutarios volumus extorqueri; si autem mutarius aliquid extorserit, ut predo, qui vulgariter rerrauber dicitur, puniatur.

### **[14] De cimiterio Iudeorum**

Si Christianus cimiterium eorum quacumque temeritate dissipaverit aut invaserit, in forma iudicii moriatur et omnia sua perveniant camere regis, quo cumque nomine nuncupentur.

### **[15] De scolis Iudeorum**

Si aliquis temerarie iactaverit super scolas Iudeorum, duo talenta volumus ut persolvet.

### **[16] De emendis communibus**

Si Iudeus iudici suo in pena pecuniaria, que bandi dicitur, reus inventus fuerit, non nisi duodecim denarios solvet ei.

### **[17] De citacione**

Si Iudeus per edictum sui iudicis vocatus ad iudicium primo et secundo non venerit, pro utraque vice iudici quatuor denarios solvet, et si ad tertium non venerit, solvat triginta sex denarios iudici memorato.

### **[18] De emendis vulnerum**

Si Iudeus Iudeum vulneraverit, suo iudici in penam, que bandi dicitur, duo talenta solvere non recuset.

### **[19] De iuramentis**

Statuimus, quod nullus Iudeus iuret super rodal, preterquam ad nostram presenciam evocatus.

### **[20] De clamdestina mortificacione**

Si Iudeus clam fuerit interemptus, ut per testimonium constare non possit amicis suis, quis eum intererit, si post inquisicionem factam aliquem suspectum habere ceperint, nos Iudeis contra suspectum pugilem volumus exhibere.

### **[21] De violencia**

Si Christiani alicui Iudeo manum iniecerint violentam, manum illorum volumus detruncari.

### **[22] De iudice Iudeorum**

Iudei Iudeorum nullam causam ortam inter Iudeos ad iudicium deducat, nisi per querimoniam fuerit invitatus.

### **[23] De usuris**

Si a Iudeo Christianus pignus suum absolverit ita, quod usuras non persolverit, easdem usuras si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usure.

### **[24] De hospitibus**

Nullum in domo Iudei volumus hospitari.

### **[25] De obligacionibus hereditatum**

Si Iudeus super possessiones aut litteras magnatum terre pecuniam mutuaverit et hoc per suas litteras et sigillum probaverit, Iudeo iure aliorum pignorum possessiones assignabimus obligatas et ei eas contra violenciam defendemus.

### **[26] De abduccione puerorum Iudeorum**

Si aliquis vel aliqua puerum Iudei abduxerit, ut fur volumus condempnatur.

### **[27] De vendicione pignorum**

Si Iudeus receperit a Christiano pignus et per spacium anni tenuerit, si valor pignoris mutuatam pecuniam non excesserit, Iudeus iudici suo pignus demonstrabit et postea habeat vendendi libertatem. Sed postquam pignus apud Iudeum diem et annum remanserit, nulli postea super eo respondebit.

### **[28] De sabbato et festo Iudeorum**

Volumus, ut nullus Iudeum super solucione pignorum in suo feriali die audeat coartare.

### **[29] De invasione domus**

Quicumque Christianus Iudeo per vim abstulerit pignus suum aut violenciam in domo sua exercuerit, ut dissipator nostre camere graviter puniatur.

### **[30] De loco iudicii Iudeorum**

Contra Iudeum non nisi in scolis procedatur nobis exceptis, qui eos possumus ad nostram presenciam evocare.

### **[31] Quod Iudei non sumunt sanguinem Christianorum**

Iuxta constituciones pape in nomine sancti patris nostri districcius prohibemus, ne de cetero Iudei singuli in nostro dominio constituti culpari debeant, quod humano utantur sanguine, cum iuxta preceptum legis ab omni prorsus sanguine se Iudei contineant universi.

### **[32] De solucione debitorum**

Statuimus, ut quicquid Iudeus mutuaverit, sive aurum fuerit, denarii vel argentum, idem ipsi solvi vel reddi debeat cum usura debita, que accrevit<sup>c</sup>.

*[IIa Pragae 1348 mart. 23.]*

### **Quod Iudei non recipient pignora subtracta**

Karolus, dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex, ad universorum noticiam volumus pervenire, quod nuper fideles nostri dilecti . . iurati, . . consules et communitas civium civitatis nostre Brunnensis ad maiestatis nostre accedentes presenciam nobis insinuare curarunt, quod ipsi et ceteri eius-